

## EXPERIMENTUM III.

**V**Iro sexagenario majori, qui jam a sesqui anno in utroque pede tendinum subsultus involuntarios patiebatur, & cui nullum remedium adhuc levamen attulit, dedi quoque Hyosciami extractum, augendo sensim dosin, donec per diem assumpsisset grana duodecim.

Mentem inde advertit magis hilarem; verum morbus mansit in eodem statu, licet remedium diu fuerit continuatum.

Notandum autem est, malum hoc a contusione vertebrarum lumborum esse ortum.

Nec unquam mihi spes erat hunc ægrum his pilulis curandi, sed cum tot medicamenta exhibita nil effecerint, volui, & hoc exhibere; contentus, quod viserem, id nullam ei noxam adferre.